



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

16. Brvctcris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

vósque à Cheruscis, injurijs incursionibúsque prohibuit; etiam pro parte aliquâ cis Visurgim habitârunt. Dio. lib. 54. de Druso: *Lupiae fluminis ripis ponte junctis, Sigambros irrupit, pérque eos in Cheruscorum fines usque ad Visurgim processit.* Isac. Pont. de orig. Franc. l. 1. c. 9. pro parte cis Visurgim coluisse non abnuerim. Cluver. l. 3. Ger. antiq. c. 19. Maximè Arminio duce gens hæc floruit, qui Chattos & Cheruscos, cum quibus illi, teste Tacito. 12. An. *eternū discordant, conciliaverat, ut aliquamdiu junctis viribus Romanorum imperium propulsarent;* eo vero defuncto recruduit vetus odium, & sequutum, quod Tacit. de morib. Germ. memorat. In latere Cauchorum Cattorumq., Cherisci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt, idq; jucundius, quam tutius fuit. quia inter impotentes & validos falso quiescas. ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni equiq; Cherisci, nunc inertes ac stulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. tacti ruinā Cheruscorum & Fosi, contermina gens. Mansere tamen adhuc aeo Claudiani veteres ad Albim ledes, noménque Cheruscorum: quod ipse testatur in panegyr. de IV. consulatu Honorij.

Et ingentes Albim liquere Cherisci.

16. BR VCTERIS. Non solum Cherisci, verū etiam Bructeri Varianam cladem effecerunt, qui propterea sua exuſſerunt, atque à Germanico vastati. Tac. l. An. Bructeros, sua uarentes, expeditā cum manu L. Stertinius, missu Germanici, fudit: interq; cædem & prædam reperit Vnde vice simile legionis aquilam, cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumq; Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum.

17. MARSIS. Antiqua, & claræ originis in Germaniâ gente. Tacit. de morib. Germ. Celebrant carminibus antiquis Tuistonem Deum terrâ editum, & filium Mannum, originens gentis

